



BALDUS
ANGELUS

ABBATIUS MEDICUS,
PHYSICUS EUGUBINUS,

QUÆDAM AD TRACTATIO-
NEM PERTINENTIA
PRÆFATUR.



ON illam di-
cendi faculta-
tem Cornelii
Celsi perspi-
cuam, & sono-
ram; non aptam

Plinii naturæ rerum scriptio-
nem; neque Ioannis Fernelii
numerofam, & elegantem e-
loquentiam; sed humilem po-

A tius,

tius, & facilem; non translatam orationem, nec figuris, aut luminibus plenam; sed ordine utroque dispositam; nec prorsus incultam, quasi ex ipsis Auctorum, quos sequor, verbis conflata, polliceor. Verum rem ipsam aggrediar. Priscis sapientibus maximè perspicuum fuisse arbitror, feracissimum Viperarum proventum, quæ plerumque bis in anno prægnantes quinquaginta catulos pariunt. Ego nullo modo adduci possum, ut credam, illos existimavisse in hominum perniciem, sed ad securitatem, & humanæ vitæ propagationem & salutem, DEI Opt. Max. humanis rebus consulentis beneficio donatas, collatasque fuisse: omne enim
vita

vitæ periculum earum morte exolvitur, si i&ui contusum caput superponatur. Propterea mirum non est, si olim apud Romanos, qui omnia nove- rant, perquisiverantque, Viperam pro salutis symbolo, cum publico tum privato, ex Augustorum quinta & septima figura numismatum, sumptam esse colligitur; & alibi inferius. Quod & exprimo Solis numismate patet, qui cum omnium vitæ auctor, conservatorque sit, ex his eisdem Viperis cum longiorem, tum magis salubrem, ac tutam vitam ab antiquis traductam esse, significatur. Hujus quoque rei signum manifestum est, eoque maximè apparet ex sexta figura, quæ magni illius Hippocra-

4 DE VIPERÆ NATURA

tis à Coorum Repub. cusa fuit
 in Civis sui satis insignis hono-
 rem, qui baculum cum Vipera
 asustinet, ceù Vipera humana
 vitæ sit adjumentum. Hoc pa-
 riter insigne Æsculapio privi-
 fuerat consignatum, quod et-
 tiam publicam & privatam
 Augustorum salutem à Viperis
 habitam significabat. Hæc al-
 lia numismata testantur, Cai-
 Tetrici Impe. M. Æmil. Claud.
 Salus Augusta dextera habens
 pateram, cum Serpente. Max-
 salus, cum Serpente. Antonini,
 & Faustinae cap. cum scriptio-
 ne Græca, ex altera Æscula-
 pius cum Serpente baculo in-
 voluto, Salus dea cum Serpen-
 te, & patera se mutuo alcipien-
 tes, Antonin. & Æsculapius,
 cum baculo amplexo draco-
 ne

ne, qui sanitatem curasset. *Æsculapius* cum baculo, & *Serpente* in argento, & ære. Innumera alia nunc omitto, & signa, statuas & gemmas, ne tædio afficiam longa antiquitatum narratione. Idem apud *Hebræos* accidisse legimus, & *Serpentis* trunco impositi aspectu *Israëliticum* populum à morte liberatum fuisse. Idem quoque apud *Ægyptios* animæ & corporis salutare symbolum fuit: serpentes pariter mutuam sibi afferre opem cum quadam herba, qua alter alteri vitam reddat, quod in historiis tritissimum est. Non igitur mirum, si morituro homini serpentis culpa aut dolo, opem & vitam ferat longior, unde parato jusculo, aut

vino, aut stillaticia aqua, aut Theriaco sale, vel solo viperarum cibo, ad comparandam vitæ longitudinem, aut ad præcavendos, vel curandos venenatos quosq; morbos apud antiquos in more positum, & spei certæ fuerit, ut ex supra relatis patet. Dea quoque Hygeia quæ Sanitas est, poculum dextera, & sinistra Vipera retinebat, quod in pluribus Imperatorum numismatibus vidimus, perinde ac si vipereum quid epotum & dextera porrectum, salubre; sinistra verò, retentam Vipera vivam noxam de signabat; quare ab Ægyptiis, & Arabibus, & Troglodyticis populis, pro epulis passim conquerebantur. Apud antiquos igitur ut nunc in mensa receptas fuisse

fuisse legimus, quod etiam Galenus pluribus in locis confirmat. Qui modò occidentales nuper repertas insulas incolunt, his ut nos anguillis utuntur, perindè ac, qui ultra Indum habitant, idem facere consueverunt, Plinio auctore lib. 7. cap. 2 & à nobis alibi dicitur. Cynos Indorum genus, Magonus tradit annos centenos & quadragenos vivere. Item Æthiopus, & Macrobius, & Seras existimat, & qui Athon montem incolunt; hos quidem tandiù, quia Viperinis alantur carnibus. Cum igitur hujusmodi & alia, atque diversa in doctissimorum hominum voluminibus memoriæ prodita fuerint, sed dispersa, & dissipata, ac penè contraria, indu-

stria quadam, ordine, & ratione in unum libellum collecta sunt, capitibus sub unum aspectum propositis. Ita enim jucundiora fore existimavi, & in studiosorum gratiam, hanc tanquam institutionem proconficienda Theriaca si ederem, multo facilius ad præstantissimi Antidoti confectioem sine magno labore pervenire posse, Quod omnibus fœlix faustumque sit.

DE